



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vitae Sanctorvm**

**Lippeloo, Zacharias**

**Coloniae Agrippinæ, 1604**

Martyrivm S. Almachii Monachi, quod Romæ spontaneus subijt. Anno Christi saluatoris 395. Siricij Papæ II. Theodosij autem Roman. Imperat. 17. sub Alipio vrbis præfecto. Ex ijs quæ habentur apud ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42667**

36 MART. S. ALMACHII MONACHI  
insultarunt. Sed illa, mentis oculis, repositam sibi  
in caelo coronam, contemplans, tulit patienter  
populi ludibria, totaque aviditate, ad Christi ad-  
spirans amplexus, demum die tertio, ad ultimum  
certamen educta, niueam ceruicem carnifici feri-  
endam praebuit; sicque multis inclyta victorijs ad  
caelos migravit.

Flectitur ca-  
pite.

MARTYRIVM S. ALMACHII MONA-  
chi, quod Romae spontaneus subiit. Anno Christi salu-  
toris 395. Siricij Papa 11. Theodosij autem Roman-  
Imperat. 17. sub Alipio vrbis praefecto. Ex ijs  
qua habentur apud Caesarem  
Baron.

In Notario  
Mart. Rom.  
& Tom. 4.  
Annal. Eccl.

i. Ianuarij.

**A**lmachius monasticæ vitæ professionē, in  
Oriente illustris, postquam diuturna ex-  
ercitatione, mirificos in omni virtutū ge-  
nere fecisset progressus, praclarum aliquid, ad  
maiorē Christi gloriā, Ecclesiaeque utilitatem,  
audendum existimavit. Itaque diuino afflatus spi-  
ritu, ex Oriente Romam contendit, praecipua spe  
ut gladiatorios gentilium ludos, nefandaque clo-  
monum sacrificia aboleret. Erant Romanis Ka-  
lenda Ianuarij celeberrimae, quas suo more mag-  
na atque fœda superstitione colebant. Nec minori-  
eas Christiani, sed sanctiore multo (ut potē pri-  
mitijs Redemptoris nostri sanguinis consecratas)  
gaudio, festiuitateque peragebant. Illi enim  
multiplicatis victimis, auctis superstitionibus,  
dapium publicarum ingluuie, nefandis cruentif-  
que spectaculis, foedabant potius diem, quam co-  
lebant. Nostri verò contra, summa illum sanctita-  
te ac puritate transigere studebant. Atque ut illo-  
rum superarent impietates, & in Deum iniurias  
quo-

Pius Alma-  
chij zelus.

Circuncisio  
Christi.

quodammodo vindicarent , propensiori studio additis ieiunijs & Litanijs , quibusdam veluti expiationis hostijs,offensum numen placare satagebant.

Itaque Almachius Christianæ pietatis Zelo inflammat, dum sceleratum cruentumque gladiatorum ederetur spectaculum. in stadium descendit, mutuamque inter eos dimicationem sedare, nefanda idolorum sacrificia delere, animosque omnium ad Christi cultum, veramque salutis rationem inducere nisus est. Sed crudelis necis spectatores iracundia accessi, & à demone, qui ex illa sanguinis effusione voluptatem capiebat, ad furem impulsu pacis auctorem male mulctatum obtruncarunt. Qua re cognita Imperator, eum in numerum martyrum inuictorum, à Romano Pontifice, auctoritate ecclesiastica adscribi curauit: Crudelē verò illud spectaculi genus, penitus fustulit. Sicque præclarus athleta, sanguinem abstergens sanguine, à Deo impetrauit, quod Imperator leges sanciendo, prius perficere non valuit.

Trucidatur Almachius.

Inter sanctos refertur.

Gladiatoris ludus abolitur.

VITA S. EUPHROSYNAE ALEXANDRINE, ex ea qua est à Simeone Metaphrast. fideliter conscripta. Claruit sacra virgo, sanctitate eximia, sub habitu & nomine virili, temporibus Theodosij Imperat. Archadij filij, qui floruit anno Salutis 430. & sequentibus.

Vide Cæf. Baronij Notat. & Annat. tom. 5.

Vir quidam Paphnutius, in ciuitate Alexandria, diuitijs quidem locuples, sed multo magis virtute & animi nobilitate splendidus ac præclarus, Theodosio, Archadij filio, Romano

1. Ianuarij.

Euphrosynæ natiuitas.